



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Instrvctio R. P. Bartholomæi Riccii Societatis Iesv  
Theologi De Modo Recte Meditandi De Rebus Divinis**

**Ricci, Bartolomeo**

**Mogvntiæ, 1605**

3 De Tranquillitate mentis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59608)

quod ii, qui pro ratione instituti sui salutē  
proximi procurandæ inuigilant, idq; con-  
uenienter Regulæ suæ & voluntati superio-  
rum, nullam iacturam animæ, & fructus  
spiritualis faciant, experianturq; quod apud  
S. Marcum Dominus noster promissit Apo-  
stolis. *Et mortiferum si quid biberint, non eis  
nocebit.*

*De tranquillitate mentis.*

CAPVT III.

QVANTA necessitas sit tranquillitatis  
mentis. demonstrat alicubi B. GREGO-  
RIUS hac eleganti similitudine. Sicut ho-  
mo quando effigiem suam in vase aqua  
pleno intueri vult, perfecte eam intuetur,  
cum aqua est immota, nō autem si mouea-  
tur, imō si magno impetu vas concutiatur,  
nihil nisi monstruosum ob specierum cōfu-  
sionē apparet, sic mens nostra, quādo pas-  
sionibus multis agitata est, in meditatione  
rerum diuinarum, aciem defigere non pō-  
test in earum pulchritudinem. Quamuis  
autem omnibus passionibus commune sit  
tranquillitatem mentis impedire, tamen  
crebrius, & fortius id faciunt quatuor ea-  
rum. Amor, ira, timor & tristitia. Qui-  
bus vt facilius occurrere queas, mederique,  
uia

## 64 INSTRVCT. DE MODO

tria præstabo. Primo, naturam earum declarabo. Secundo ob oculos ponam cuiusque turbationem, eiusque causam: tertio adiungam remedia ad eas sedandas, incipiendo ab Amore.

AMOR est affectio ad res quæ placent, ut quæ gustui nostro arrident, & cum natura nostra, eiusque dispositione conueniunt. Amoris huius proprium est, hoc plus expectere, quo plus illi datur, non absimilis illi, qui teste S BERNARDO in declamatione quadam, semper solitus erat dicere, AFFER, affer. ac proinde recte confertur hydropi: sicut enim hic morbus hoc amplius adauget sitim, quo amplius bibitur, ita passio amoris hoc plus crescit, quo plus illi conceditur, quod Iuuenalis Ethnicus poeta de pecuniæ amore graphice expressit, dicens:

Sat. 14.

*Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.*

Lib. 1.  
Ester. 6.  
ult.

VENIO ad secundum, id est, ad perturbationes, quas solet Amor excitare. Vnum scio, ait Richardus Victorinus, & dubitare non audeo, quod dum animus noster ad ima per amorem distenditur, quietus esse non poterit, nec in mentis tranquillitate seruari. Atque experiëntia ipsa nostra culpa id quotidie experimur, dum incautè amore quodam inordinato

ordinato prosequimur res etiam natura sua bonas & honestas. Has turbationes & inquietudines indicavit CHRISTVS in parabola spinarum, in quas semen illapsum suffocatum fuit. Quemadmodum enim spinarum aculei pungunt corpus: sic rerum creatarum amor transfigit, laceratq; animam, vt docet S. GREGORIUS homilia in Euangelia 25 *Quis enim, inquit, mihi unquam crederet, si spinas voluissem interpretari diuitias, maxime cum illa pungant, ista delectent, & tamen spinae sunt, quia cogitationū suarum punctiōibus mentem lacerant.* Atq; nota eas non solum pungere cogitatione & desiderio, dum nondum possidentur, quod indicatum est apud Lucam verbo illo, *Sollicitudinibus.* sicut Dominus ipse declarauit cap. 6 Matthæi, dicens. *Nolite solliciti esse, dicentes. Quid manducabimus, aut quid bibemus in futuro?* verum etiam dum iam possidentur. Subit enim cura ingens eas conseruandi, cumulandi, & exponendi, nec non timor eas amittendi; quod si euenire aliquando aduersante fortuna contingat, quid aliud sequitur nisi summa animi perturbatio cum extrema melancholia?

AGNOSCI possunt animi perturbatio-  
nes in amantibus ex pallore vultus; corpo-

E riste

ris tenuitate, suspiriisq; crebris & assiduis ex intimo corde tractis, aliisque similibus quamplurimis indiciis.

VNICVM, sed efficacissimum antidotum (quod tertium erat) ad hanc ægritudinem animi sanandam est, rem plus nimio amatam amatori subtrahere, nullamq; amplius illi amandi materiam suppeditare: videmus enim hydropicum nullo alio antidoto efficacius sanari, quam potus subtractione. Vocavi autem amorem hunc infirmitatem spirituales absolutè: quia, licet notum sit non conuenire ei hanc nomenclaturam, nisi quando moderatio non obseruatur, tamen M. T. Cicero omnes passionnes ægritudinum nomine complectitur, eo quod homines raro moderato amore in creatas res ferantur. Quocirca & Doctor quidam notauit Christum apud Lucam signatè ita locutum. *Qui non odit patrem suum &c.* Sciebat enim rarò modum in parentibus diligendis seruari.

*Luc. 14.*

*De reliquis tribus Passionibus.*

C A P. IV.

**I**R A ex parte formæ suæ, quatenus est animi motus, definitur esse *appetitus vindicandi iniurias illatas*: ex parte verò materiæ.